[illegible]

Musiałowicz Casimiri: Capitalium honoris pontificii, augusto capiti superstructum.

CAPITOLIUM HONORIS PONTIFICII, AVGVSTO CAPITI SVPERSTRVCTVM.

AC

GENTILITIO ACINACE,

ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI,

D. CASIMIRI

à ŁVBNA

ŁUBIENSKI,

DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ,

EPISCOPI HERACLEENSIS,

SUFFRAGANEI, CANONICI, SEDE VACANTE EPISCOPATVS CRACOVIENSIS, & DUCATUS SEVERIENSIS, GENERALIS ADMINISTRATORIS:

Dum in Claro Monte, Majorum Suorum Munificentiâ, longè clarissimo; à CELSISSIMO PRINCIPE,

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ALBRACHTO GEORGIO DONHOFF,

NOMINATO EPISCOPO CRACOVIENSI, DVCE SEVERIÆ SVPREMO REGNI POLONIÆ CANCELLARIO,

SOLENNI POMPA,

IN EPISCOPVM CONSECRARETVR;

JNCISVM.

Ab Illustri verò & Nobili Iuuentute Academica ex Scholis Novoduorscianis, Officiosissimo Cultu,

DEDICATVM.

Operâ

M. CASIMIRI MVSIAŁOWICZ,

In Alma Vniversitate, Studij Generalis Cracoviensis, Philosophiæ Doctoris, in Collegio Nouoduorsciano Rhetorices Professoris.

Anno Domini 1701. Die 6. Martij.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.



Nudum fronte CAPUT, ŁUBIENIA Stemmata gestant:
Omnia quæ decorant, hoc CAPUT intus habet.
Cur tamen emeritæ, non fulgent Vertice Mitræ?
Non monstrare solet, sed retinere Decus.
Jllud an orbari voluerunt tegmine fata?
Vt sit fronte locus, quem redimiret Honor.

ILLVSTRISSIME
&
REVERENDISSIME
PRÆSUL.

NOn ita Nouoduorſciana Ivuentvs, humaniores tractat ediſcitq; literas; vt omnis prorſus oblita humanitatis, dum Te, ad præcelſum Honoris Pontificij faſtigium, Tua prouehunt merita, Te ipſum Votis, & affectibus ſecutura, ſaltem fideli leuis calami obſequio, non prouolet. Habet nimirum Pallas noſtra, quod in Te continuò adoret; Tuum ſcilicet CAPVT Gentilitium. & dum ſe Capite prognatam reminiſcitur; dignum ſemper æſtimat, vt in Tuo, vel ipſum Tonantem veneretur. Quidni verò, ad Tuum CAPUT, ſua referat cunabula Pallas? in quo non minùs defixi MVCRONIS, quàm ingenij proſtant acumina. quod dum intra ſe ferrum

habet; aurum omnigenæ eruditionis pondere præstantissimum, & loquitur toties, & sapit. Ipsa Diuinissimi CASIMIRI Tutelaris Tui, coniuncta cum Tuis, Solennia, nobis omnino imponunt: vt nitidissimis castimoniæ illius Lilijs, vel hisce pallentibus ad Tuum conspectum chartis litemus; & Diuiniorem hunc Iagellonum Phænicem, in Te ipso, turba Iagellonia, veneremur. Celsitudinem quidem gloriæ Tuæ, non assecutos nos, bellè scimus: attamen & exinde, potissima Tua laus assurget, quod à nobis sufficienter laudari non possis: solito præcelsæ Tuæ mentis more, vt Tibi faciliùs agere, quàm nobis dicere contingat: citiùsq; præcelsa Honorum scandas fastigia, quam nos, exigua in Tui laudationem Carmina. Faue igitur imbelli Musæ nostræ ô PRÆSUL! & tantisper opus hoc tenue, quod afferimus offerimúsq; inter gratulantium vota suscipe: antequam Tibi altiorem in Ecclesia DEI Infulam, eleuatiori quoq; opere gratulemur. Hanc precatur.

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONI TUÆ.

Deuinctissima.

Iuuentus Nouoduorsciana, Studij Generalis Almæ Vniuersitatis Cracouiensis.

CAPITOLIUM HONORIS PONTIFICII, AUGUSTO CAPITI, SVPERSTRVCTVM. AC GENTILITIO ACINACE JNCISUM.

CUlmina, Regifico Cælis vicina paratu,
Quæ Capitolini fulgentiùs arte Palatiî,
Exſcidit egregio LUBIENIUS ENSIS in ictu:
Et quæ, Sidonio circumuallatus ab oſtro,
Præſuleus iam ſervat Honor: pulchrùmq; ſuperbo
De ſolio ſublimè micans, hac parte Tiaræ
Oſtentat prælustre iubar, non ſegniùs illâ
Vrit inardentem radijs flammantibus æthram,
Splendorem iaculante Pedo: retegitq; ſupernè
Auricoma ſub fronte CAPUT, nimiùmq; ſecundis
Jllius auſpicijs, Capitolia ſignat ab alto;
Pandere Pierii, tenui modulamine buxi,
Fert animus. Tu, cûi Clarias pia vota per aras
Thuricrema cum luce micant, Tenedoſq; Pelaſgis
Nota dolis, cultuq; frequens Pataræa laborat,
Reſponſis Cortina ſuis: Cyrrhea per antra
Phæmonoë cûi ſacra furit, dorſoq; bivertex
Nutat Hyantæum Cœli per inane cacumen,
Aonidum plaudente choro. da Phæbe ſonoros
In plectrum veniſse modos, & gurgite fontis
Caſtalii, plenis immergere faucibus ora:
Atq; tuum (valido pectus quatiente tumultu)
Ire per inculti Vatis præcordia, Numen.
Non humili de more canam: faſtigia poſcit

Carminis, invectum Lechici per culmina Regni,
Emerita cervice CAPUT: quod Principe Mitra,
Ad consanguineas Aquilis victricibus Aras,
Extulerat gavisus Honor: quod Plocia quondam,
Lustrârat bifido fulgentiùs Infula cinctu;
Dives inaurato Regni fortuna metallo
Cûi dederat se tota regi: quod in Ordine Patrum,
Per Trabeas, Fasceśq; suos deduxerat ortus,
Atq; Palatinas toties implere Curules
Consilio meliore quiit.. Præconia laudum,
Præcelsis quæsita modis, quæ fundat ab ore
Vel Maro, primævis quem Mantua strinxerat vlnis,
Dardanio cedente Viro: vel barbita Vatis
Mæonii, docto resonent de pollice, Achillem
Auersata suum. quidni nunc alite fama,
Attollant, meritiśq; decorum, anniśq; vetustum
LUBIENIUM super astra CAPUT? quod passibus amplis
Provectum, quà præbet iter sibi mascula virtus,
Gemmantes Divûmq; lares, sacrumq; Tribunal
Accipiunt, votis expectatumq; salutant,
Ex humili submissa genu: quod cardine summo,
Ad Capitolini nunc iam fastigia clivi,
Antistes sublimat Honor. Per culmina laudum
LUBIENIJ latura CAPUT prægrande BISONTIS,
Quidni penna volet? proprii quod Præsulis, altis
Virtutum cumulis, niveæ quos mentis eburnus
Tollit apex, meritis nil non sublime dedisse
Acta probant: gradibus quod per præcelsa repostis,
Virtutis ductrice manu, processerat illuc,
Nunc vbi Præsulei, se iam Capitolia Honoris
Excipiunt, traduntq; sacræ moderamen habenæ.
Siq; CAPUT superat cunctos excelsiùs artus,
Nil humili de laude ferat: chelys alta canoros
Assurgat flexura sonos, & pectore toto
Plaudentem CAPITI spirent præcordia Phæbum.

At Tu

At Tu, quem nitidas inter ſtellantia Ceras,
Ornamenta Domûs, & ſub nigrante vetuſti
Nube ſupercilii, radio meliore ſerenat,
Hoc CAPITIS Gentile decus, ſed lumine virtus
Circumſtat maiore ſui. Cûi, nunciat ipſum
Stemma, ad Præſuleas natum Caput eſſe TIARAS:
Fama ſuper populos curru ſpatiata volucri,
Cuius, Viſtuleas pariter, pariterq; Latini
Thybridis, Auſonias nomen prælustre per oras,
Grandiſonâ iubet ire tubâ; rapidoq; rotatu,
Per ſeptemgeminos, inter juga Romula colles,
VAUELEA de rupe vehit; quem Iure recenti,
Diva Themis, Clerum ſacris frenare lupatis
Et Dominum paviſſe gregem, Craciæq; TIARÆ
Alternas ſupplere vices, optavit, & vrſit.
Jnfula flammanti circùm radiata pyropo,
Heraclea, novum Capiti latura ſerenum,
Cuius in emerito, tot per faſtigia rerum,
Vertice conſedit: fluidoq; adſtrinxit in auro
Frontis ebur, pulchroq; ſuæ ſub pondere molis,
Oppreſſit crinale decus. quos ſecula nôrunt,
LUBIENI, meritis Maiorum magne Tuorum,
Magne Tuis: permitte rudes ſua plectra Camænas,
Quæ per Regifici NOVODVORSCIA tecta Lycæi,
Otia Sceptrigero ſub Apolline docta frequentant,
In laudem ſumpſiſſe Tuam. de fronte benigna,
Carmen, inurbani muſſant quod barbita Vatis,
Obtutu dignare ſacro, facilemq; labori
Inculto, prætende manum: quæ munere Divûm
Tot Myſtas accincta dabit: quæ à ſede novatis,
Thure vaporatas Superûm penetralibus aras
Sacrabit, largam populo impertita ſalutem.
Hôc Tibi, vectigal Pallas Iagelonia cenſu,
Perſolvit: Capitiſq; memor, quo nata Parente
Prodiit, & primas cerebro Iovis ibat in vlnas;

Hoc Capiti pensura Tuo, quod debuit illi,
Provolat, exultans animo gratante, tributum.
Multa quidem, meritæ decus augustale Tiaræ,
Dum capis, & Sacræ Capitolia protinus arcis
Dexter adis, fluido spumans Te suada profundo,
Altiùs evectum fluctu maiore sequetur,
Per laudum spatiata salum. tamen vnda fluenti
Castalii, dum larga vadis non segniùs imis
Despumat, plantisq; Tuis immurmurat audax,
In laudes fluxura Tuas: Tu vela per altum
Optatis propelle Notis, alnoq; timenti,
Adspirare levi non dedignare susurro.
Scilicet & cygnis quandoq; canentibus, anser
Obstrepit; & sociam stupuit philomela cicadam.
Nec caret exilis, quo Te comitetur euntem,
Per Capitolini sinuata cacumina clivi,
Musa: dabunt celeres tanta ad fastigia gressus,
Deducti per metra Pedes: faciliq; volatu
Surgere nubigerum poterit leve carmen in altum.
Jamq; furor, valido convellit corda tumultu,
Entheus: & totis regnas iam Phæbe medullis.
Ex quo, siderea Cæli fulgentis ab arce,
Heu populi ingentem tandem miserata ruinam,
Induerat fragiles nostræ compaginis artus: *A Circũstãtia feliciter incœpti sæculi.*
Pulchraq; Virgineo condens sibi sanguine membra,
Nata salus Orbi est. rapidô iam secula gyrô,
Sexdecimo super axe rotam vertêre vetustam.
Jam septemdecimum, currus temone labantes,
Effætoq; nimis, finem posuisse labori,
Seculum, in exactis operosis cursibus annis
Optabat. Gravidâ passum tardante senecta,
Prô quantùm tremulæ confecto in corpore vires
Defecere sibi? fluidis languore lacertis,
Non regnat per membra vigor, non corpora neruis
Alligat, imbelles vis interfusa per armos.

Iam

Iam capite inculto, terram quô proſpicit imam,
Canities malè compta iacet, villóq; nivali,
(Qualis Hyperboreas, intercubat alta pruinas,
Bruma gelu ſuccincta toros; totáq; ſub Arcto,
Candida Biſtoniis pandit tentoria campis)
Horret in effætis, longævo temporis vſu,
Exſangui pallore genis, maciéſq; reductis
Oſſibus informes ſcindit per tempora ſulcos.
Non oculis non fronte decor: defluxit ab ore
Maieſtas, validos olim regnata per artus.
Dextra per attritos multa ferrugine currus
Obſequiô retrahente gradum, vix robore toto,
Sufficit in frenum; nimiùm pigróq; iugali,
Deſes inornatô ſtridet rota concita plauſtrô.
Iam finem quæsîſſe placet, iam corpore morbo,
Semianimi tarda componere membra quiete.
Vidit ab elato hæc convexi margine mundi,
Iure, novum celeres meditans iam ſæculum habenas,
Fata quod æternis res evolventia penſis,
Eduxêre, ſuum mundo latura tenôrem.
Protinus vrgebat, liquido ſuper axe, volucres
In lucem fudiſſe rotas: pulſóq; vetuſto
Tempore nubivagis invadere curribus aſtra.
Nec mora: ſecreti flugida ad penetralia tecti,
Accerſit famulam diverſa ad munia turbam.
Ilicet in ſubitis librata, per àëra pennis
Annorum centena phalanx, queîs iura gubernant
Bis deni Proceres, hominum mos luſtra vocari,
Iam fluidum cinxere latus. Longo ordine Menſes,
Atq; Dies ſpatiis quos non æqualibus, omni
Alternata ſatis diſcrevit corpore moles
Feſtino venêre gradu; quos ponè ſecutæ
Somniferæ nigro volitant examine Noctes:
Diſſimiles per membra ſibi, molémq; dierum
Corpora, ſub varia ſervant pallentia forma.

Convolat innumeris Horarum exercitus alis
Par humeris & fronte ſibi. iam mole puſilla
Corporis exiguóq; , nimis fluxura ſub ictu
Denſantur momenta locô, vaſtámq; per auram
Immenſis effuſa choris, glomerantur ad ipſos,
Sic propiùs Domini iuſſa auditura Penates.
Numine pennifluo, iam Regia tota frequenti
Fluctuat: at medius curru ſublimis ab alto,
Sic Deus adſtantes domino ſermone profatur.
Tempus adeſt votis toties optabile noſtris,
Aligeri mea cura Dei. jam ſidera noſtras
Expoſcunt ignava rotas. iam curſibus Ætas,
Et ſenio confecta gravi ſua plauſtra reclines
Urget in occaſus: & iam ſuper æthera multa,
Multa ſuper vaſtâ, damnans diſpendia terrâ,
Vertit ad obſcuros, pallentia lumina manes.
Indole ſi dignum volucri, ſi ſanguine Veſtro,
Robur ineſt animis: mecum quà ſidera curſu
Arcano ſuper axe meant, & Regna refundit
Aër ignifluis Phæbi complexus habenis,
Pellite nubigeras, effuſa per agmina rhedas;
Et terris inferte manum. ſuperate triones,
Quà croceum Cælô ſternens aurora cubile,
Prætendit tibi Phæbe diem. quà lampada mundi,
Dum cadit, Heſperiô ſepelit Thetis alma profundô.
Et qua ſol mediam Cæli fulgentior arcem,
Auricomo ſplendore cremat, quà cardine pigro,
Frigida villoſæ radiant Erymanthidos aſtra,
Diffundénſq; nivis, candentia vellera circùm,
Vectat Hyperboreus, glacialia plauſtra Bootes.
Imus & in totum latè quà funditur orbem,
Iura damus. Læto Domini mandata fluentis,
Excipit aſſenſu, tendítq; ad ſidera palmas,
Turba fugax. Nebulis accincto protinus axe,
Conſedit: celeri circùm ſtipante caterva,

Secu-

Seculum, at in fluido tempus nutantia loto,
Frena dedit, volucrésq; illis innexuit Horas
Inde ruit rapido ſub turbine momentorum;
Víxq; locô ceſſit, ſubitò (mirabile dictu)
Quô voluit ſtetit vſq; locô primóq; labore
In lucem ſua regna dedit. Riſêre ſerenis
Sub Rectore novo plaudentia ſidera caſtris.
Sol quóq; flammivomum derſus pulvere vultum
Sidereos concuſſit equos. Orbémq; reviſens,
Aèra cæruleum properô ſcidit actus Eoô.
Ipſáq; ſquallenti quæ iam confuſa ſenecta
Extimuit Natura Chaos, nova lumina vultu
Induit, & pulchros mundum formavit in ortus.
Hæc vbi demiſſis vetus adſpectaverat Ætas,
Luminibus confeſſa ſuam iam mente ruinam;
Protinus exanimes, humeris tardantibus alas,
Commovit: ſed penna dabat ſat ſegne volandi
Officium, pedibus pariter, plumíſq; fugacem,
Tentabat tranare viam, talíq; regreſſu
Implicitum carpebat iter, Cælóq; ſolóq;.
Limina nigrantis remeans ad inhoſpita Thules.
At nova diffuſum mittens iam frena per orbem,
Sæculum; in impavidæ viridi fervore iuventæ
Conſtiterat, faciéq; roſas, collóq; pruinas,
Exprimit, & toto regnat vigor igneus ore.
Non ſecus ætherei cùm ſe fera bella Tonantis,
Infudêre Polo, ſolium captura Paternum.
Leucadius poſt Regna ſenex protruſus ab arce
Cælicolûm, ſceptris ibat miſer exul ademptis.
At Iovis Omnipotens, cæli fulgente Senatu
Vt cepit ſacra Sceptra Deûm, rubor ora genáſq;
Pingebat dubia, tectis lanugine malis.
Tunc vigor invictos diffundebatur in artus,
Et validô poterat fulmen torquere lacertô.
Cúmq; ſuis gemeret Lipare violenta caminis,

Æthneísq; ferum Cælô Cyclopes ab antris,
Immisêre caput: nigranti mole Typhæum
Inarimes petiisse iugis, victóq; rebelli,
Clara Giganteis attollere Sceptra trophæis.
Vt tamen extensos populos, & regna volucri
Legit in aspectu, stupet immutâsse tenorem,
Cuncta suum: variam rerum stragémq; profundos
In cumulos crevisse dolet. Videt obruta vastis
Mœnia ponderibus, vulsásq; è sedibus vrbes,
Vix loca quêis steterant, tristi liquisse sepulchro.
Mox quà nimbiferô Boreæ subiecta flagellô,
Lechi Regna iacent: Cracidósq; Urbs alta supinis
Turribus antiquam, revehit super æthera famam,
Sceptrorum Regníq; potens doctíq; Senatûs
Constitit. inverso hîc rerum discrimine totas,
Dum transisse vices, simul & funesta revoluit
Damna virûm, densa nimiùm signata cupresso;
Vaveleæ munimen adit Prælustre Cathedræ:
Sacrorum Patriam, Divóq; habitata frequenti
Limina: sed vacuas vtróq; à Præsule sedes,
Proiectúmq; Pedum Mitrásq; informè iacentes,
Adspiciens. prô quantùm (inclamat) copia fati
Luminibus stetit aucta meis! hoc secula raris
Exemplis vidêre nefas? Conterrita voce
Relligio, finem tandem positura dolori,
Tristis ab obscuris adytis tunc segniùs ibat.
Non solito cultu, nec qualis iura per aras
Dividit, at pullo, frontem velata pudicam
Tegmine, & in solitùm fluidis per colla capillis,
Incultas confusa genas, corruptáq; fletu
Lumina, & innocuum referens mæstissima vultum.
Dextra tenet pateram, fulcit Crux alta sinistram,
Nílq; gerit non triste satis. Sic Tantalis olim
Immaduit luctu Niobe, cùm spicula Titan
In prolem daret acta suam, totósq; Penates

Imbu-

Imbuerat fuſa ſanie: tunc tota natabat,
In lachrymis cum viva foret, nec marmora fletus,
Quêis riguit preſsêre ſuos, cunctóſq; per artus
Pro lachrymis riguum ſtillavit marmore rorem.
Atq; vbi iam proprio cognovit limine, ſeclum
Illuxiſſe novum: prior eſt affata ſalutans.
Dexter ades, noſtris tandem DEUS addite votis.
Fata ſinant, vt te volucres vertente jugales
Annorum, meliora meæ momenta Tiaræ
Rite favens fortuna rotet, cælúmq; benignum.
Cernis vt anterior noſtris penetralibus Ætas.
In Mitras graſſata meas? en vtráq; vitta
Orba iacet, nullúſq; meas, heu fata! per aras,
Apparet vittatus apex, MALACHOVIA poſtquam
FASCIA, liligerum Cœlô ſuperaddidit Orbem.
Ex quo GODZIEBIAM. fati vis invida PINUM,
Vulſerit, at mediô Virtus plantavit Olympô,
SZEMBECIASq; ROSAS meritæ evexêre TIARÆ,
Patricios inter Proceres, culménq; Senatûs,
Me gaudente quidem. ſed tu qui præpete gyro,
Tempora convoluis, currus revehíſq; recentes,
Alitibus dextris, altùm ſpes erige mæſtas.
Excipit orantem, ſeclum: Non tempora noſtris
Sub Regnis, tam ſæua time: meliore ſereno
Current luſtra tuas illuſtratura Tiaras.
Quid dubitas? duo ſi Capita ad faſtigia deſunt,
En binum tibi fata CAPUT, mihi conſcia tradunt.
DONHOFIUM, quod iam Princeps tua Mitra ſequetur,
LUBIENIUMq; ſimul cûi Heraclea bicorni
Infula procumbet radio, Iuríſq; ſacrati
Et viduos Faſces, & Regna vicaria reddet.
Fata tamen primum, necdum adſcripsêre valenti
In leges adamente ſuas. tibi cura ſecundi
Incumbit: iam Roma favet, iam murice ſacro
Purpurei Proceres dignis tua vota freqnentant

Auſpiciis, CAPITIS frontem Caput Orbis inumbrat.
Quà tamen aurifluis habitans Capitolia pinnis,
Præſuleas diſpenſat Honor, ſublimè Tiaras
Mecum perge viam. precibus compulſus in vſus,
Sic poterit faviſſe tuos. citiúſq; recumbet,
LUBIENII CAPITIS meritâ ſuper Infula, fronte.
Conſilii placuiſſe Deæ ſententia viſa eſt.
Sed quia defuerat, qui prænarraret Honori,
LUBIENIÆ præcelſa Domûs, bellôq; togâq;
Facta, per inſignes Regni bene cognita Mitras.
Protinus excelsâ Phæbus Novodvorſcius Aulâ,
It comes: in laudes plectrô qui adnixus eburnô
Geſta Domúmq; canat. Rapido ergo Numina curru,
Aëra proſcindunt, inſertáq; nubibus altis
Colla ferunt; vno populíq; vrbéſq; ſub ictu
Linqvuntur pariter; quà vitrea Doridos, alto
Gurgite Regna tument: & iam ſub tecta propinquant
Præſuleus quæ ſervat Honor. Domus alta per auras,
Exurgit Pariis centum ſubnixa columnis,
Tecta ſuper Scythicas ſuperans candore pruinas,
Fulget ebur: laterum partes ars ſculpta perurit,
Phidiacam prægreſſa manum. fulgentiùs intra,
Ardet onyx, flammáſq; leves imitata pyropus,
Accendit riguo ſpatioſum Auguſtal in auro.
Circùm purpureis aulæa rubentia ſuccis,
Præſuleum iam tegmen habent. Inſignia circùm,
Et Trabeæ & Vittæ, Paſtoraléſq; TIARÆ
Et ſacri lux miſta Pedi, pendentia nutant.
At medius ſolió (cûi tegmina rubra miniſtrat,
Dives ab Aſſyria, latè ſua vellera murex,
Pictus acu, variè toto quem Gange petitum,
Gemmifluum diſtinguit opus) ſublimè decora
Maieſtate ſedet, ſummis Honor additus Aris,
Præſuleus: propriis laribus qui vt Numina vidit,
Proſiliit. ſed fuſa comas prior occupat illum
Reli-

Relligio taléſq; exponit voce querelas.
Si tibi ſacrorum cura eſt, ſi munera Divûm
Rite geris; Cracias cur nunc orbata Tiaras,
Sacra tenent? geminâ cur non micat Infula fronte?
Præſulibus gaviſa ſuis. quod fata requirunt,
Cognatâ Proavis toties non ſimplice Mitrâ
LUBIENIUM prætexe CAPUT? ſi forte repoſcis
Emeritæ decora alma Domûs. Novodvorſcius altos
Ad numeros, longa ſerie narrabit Apollo.

Hic vbi dulciſonas, numeroſo pectine chordas
Struxerit ad reſonum hæc orditur carmina plectrum.
O certatorum pulcherrima meta laborum!
Et merces formoſa nimis, curæq; voluptas.
Qui conſanguineos refugis virtutibus, alto
Iure colis nexus, dilectáq; vincla frequentas.
Si tibi LUBIENIÆ præluſtria lumina Stirpis,
Secula queis peragrans vetus inclareſcit origo,
Percenſere cupis: ſtellantia fulgura Cælô,
Immenſis ſuffixa choris; aût vere ſerenô,
Arboribus cum gemmat honos, per prata juventæ
Gramineæ ſobolem; rapido vel carbaſa Corus,
Cùm ſcidit aſſultu, violentiáq; exerit arma,
Littus ad Adriacum, quot fert Thetis vda procellas;
Dinumerato priùs. ſatis eſt compendia nôſſe.

LUBIENIIS Stemma eſt URI CAPUT, ignibus (inde, *Stemma Illuſtriſſ: Lubien: Domûs Vri Caput.*
Vritur egregiis, ut pulchra luce ſalutem
Inſtillet Patriæ: vt flammis feralibus hoſtes
Vrgeat, accendátq; rogum potiore favillâ.
Stemmatibus, varii variis, præconia laudum
Conquirant; ſat LUBIENIIS cumulabit honoris
Stemma CAPUT: quod, ni cerebrô Iovis orta fuiſſet,
In ſua nunc vellet cunabula, ſumere Pallas.
Non acies hebes ingeniô: præſtabit acumen
Mucro latens. Patriæ nodi nova damna timete,
Defixum CAPITI, ſtat veſtra in vincula ferrum.

Arma aliis ſua dextra gerat; LUBIENIA Virtus
Et CAPUT armauit proprium, duplicíq; ſub ictu,
Enſe ferit tum mente ſimul. ſic vulnera cæsa,
Fronte gerit, Patriæ vt nullum ſit corpore vulnus.
Nec valido ſermone caret: ſub nube ſilentiî
Voluit adhuc Orbi quas inſonet ore loquelas.
At conſtat, Procerum cætu ſatis eſſe locutum, hoc
Magnanima Cervice CAPUT: ſtupuêre Senatûs,
Cortinas patuiſſe ſibi, Tripodáſq; ſonantes
Fatidicum moviſſe Deum; de Principe Regni
Cùm ferret ſua verba locô, dum Plocia fronte
Sacra gerens, Orbi linguâ calamóq; locutum eſt.
Fuſcus ineſt pullo vultu color: hiſce tenebris
Caput Vri Nigrum Okolscius Tomo 1. fol. 469. Exoritur lux alma Domûs meliore ſereno,
Atq; hoſti nox atra patet. nigrante ſub vmbra hac
Patria, ſe toties nimiis fervoribus vſta,
Compoſuit: ſerámq; dedit per membra quietem
Unde tamen nigros, URUS traxiſſe colores,
Fronte quiit: dubia non eſt quòd mente feramur.
Ad Patriæ cum ſœpe rogum flagrantis, & hoſtis
Funera, POMIANII turba venêre frequenti
Hinc fuligo ſuam nigravit bellica frontem.
Et reboans, atrum vomeret cum machina ſulphur,
Corripuit nigrore CAPUT. Seû lumine Solis
Dum ſudat patulo, dum Cœlô teſte labores,
Pro Patria non ſegnè ſubit caliginis URUS.
Nube tegit vultum pullatáq; vellera ſumit;
Et meritò, fuſci CAPITI inſedêre colores:
Conveniunt ſuper ora ſibi: neglectáq; paſſim
Forma Viros UROSq; decet. Sibi Stemma vetuſtum
Extollant alii, fumoſáſq; ordine Ceras
Exponant ſqualente ſitu: ſat origine priſca
Stemmata LUBIENIIS, veteres deducta per annos,
Iſta decens fuligo probat. quæ vultibus atris
Nigra licet maneat, ſeriem tamen inde Virorum,
Fama

Fama ſuper niveô longùm ſibi connotat Albô,
Hic meritis anniſq; præit, primæva perenni,
Tranſcribenda ſtylo, æternæ dans nomina Famæ,
ANDREAS: cûi Regificis cumulata metallis,
Aurifluum pollens, Regni cum divite gaza
Depoſitum fortuna dedit, totúmq; refudit
Firma quod Attalicis preſsêre repagula clauſtris.
Hic ità divitias diſpenſatrice regebat
Dextrâ; vt magnificas ſpecioſo munere dives
Virtutum cumularet opes: nec in ære ſonanti
Sic fudit fortuna ſinus, pietatis vt arcta
Damna forent, fideíq; gravis ſequeretur egeſtas.
Cum ſua theſauros Regni bene fida miniſtrant
Pectora; gemmiflui cumulant æraria cenſus.
Nec varias mutare vices, ſors invida novit,
In nomen jurata ſuum. manavit in auro,
Heſperius Tagus auctus aquis, & littus Iberum
Exſpatiata rudi, currebant flumina maſſa.

Andreas Lubienſ: Regni Theſaurarius ad Annum, 1436. Okol: Tom. 5. f. 456.

Par Virtutis opus. torvô cremat vſta Gradivô,
Corda Virûm. Cùm Choyniciis bella impia campis,
Gens Crucibus ſignata movet: feralis Enyo,
Fortunæ CASIMIRE tuæ, de vertice laurus
Excutiens, inimica tulit ſub caſtra trophæum.
Hic per inundatum telorum grandine nimbum,
LUBIENIUS, pulchro famæ calefactus honeſto,
Magnanima virtute volat; turbátq; rebelles,
Dum ſtricto mucrone ruit. diſcrimina vitæ
Grandia, denſato circùm ſtipatus ab hoſte,
Non animô caſurus adit. *Sic nempe ſalutem*
Contemnit propriam, medioſq; excurrit in ignes,
Cûi Patriæ ſtat cara ſalus. nec fata morantur:
Illius vt fortes ſua per diſcrimina viuant.
Getulas tenui Syrtes tranare carina
Audebit, ſtridente Polo, procurret ad Iſtrum
Cùm glacie concreſcet hyems; & Sole calente,

Lubienius, Proavus Celſ: Primatis, bello ad Choyniciam cum Cruciger: ſub Caſimiro III. Rege fortiter dimicando grande vitæ diſcrimẽ adit.

D   *Nilia-*

Niliaca Meroes, pedes inſultabit arenis:
Si commune bonum, ſi Patria cara repoſcet.

Siqua fides priſcis Annalibus, huc ſua pulchro

Suentoſl: Lubienſki, Párens Archiepiſc: Gneſnen: & Płoc: Epiſc: ex Matthia Pſtrokonÿ Epiſc: Vladiſl: Regni Cancell: Sorore conſobrina.

Fædere, PSTROKONIÆ, & cognati ſanguinis au-
Lumina congeſsère Roſæ. Germana Tiaræ (ctu,
Herois Ladiſlaviæ, Regníq; Sigillis,
Lege maritali dextram dum iunxit amicam
SVENTOSLAE Tibi, duplici tunc purpura fluxit,
Murice LUBIENIIS, & avito Sanguine, & alto
Flore comans. Nunquam meliùs frondeſcere Pæſtũ,
PSTROKONIUM potuit, quàm cùm ſua fœdera quærés,
POMIANIO proprium poſuit pro vertice florem.
Florida quin etiam cunabula ſternere, fata
Debuerant. Roſei queîs poſſent creſcere nati,
Præſuleíq; illinc caperent exordia cultus.
Sed mihi narranti iam ſe largo impete volvunt
Et Trabeæ, & Faſces, deſudatæq; curules,
Lecheos inter Proceres, ſua Iura vehentes.
Non ſecus Alpinis cognatum rupibus amnem,
Primæuo de fonte rotans; cùm Gallica certus
Limes, ab Heſperiis diſcriminat arua colonis.
Fert Rhodanus vada ſtricta ſitu: ſed longiùs vdo,
Dum fluctus torrente ruit, ſocióq; profundo,
Excipit in vitreis Ararímq; Iſarámq; fluentis,
Atq; tuas haurit ſpatioſe Druentia lymphas.
Iam famula cervice rates, jam naufraga fluctu
Rura vehit, campíq; volans per aperta patentis,

Marcus Lubien: Palatin: Breſten: & Hier: Lubien: quorum merita in Patriã Regnãte Sigiſmũdo III. Vladiſl: IV.

Deſpumat maiore vado. Thetidíq; ſonorum
Tyrrhenæ, tumidis pendit vectigal in vndis.
Ecce Palatinæ ſeſe effudêre Curules:
Breſtia purpureo quos tollit in ardua cultu.
Hæ MARCO vexêre locum potiore Senatu,
Sat per ſe meritis nil non ſublime gerenti.
Ille Quirinales olim ſi ferret amictus,
Ceſſiſſet ſua fama Numæ, contemptus abîſſet

Fabri-

Fabricius, cuperent mandâta audire Catones.
Libertas Lechici decus immortale Trionis,
Quàm sua sumebat per fervida corda Quiritûm
Incrementa, leves circúmq; attraxit habenas,
Hoc suadente sibi. Vigili statione locatas
Excubias mentis, Patriæ asseruabat in vsus,
Publica prospiciens cunctorum commoda. *Sæpe*
Insudant proprÿs: quos torua afflavit Erynnis,
Incubuisse bonis: speciosi tegmina veli
In commune trahunt; sub ÿs priuata lacessit
Communem fortuna manu. manet vtile subter.
Mille artes cautiq; doli: discrimine vultum
Erudiunt simulare fidem, sensusq; nocentes
Obtegere & molli techna prætexere visu.
Mella super, sed spina latet. fabricantur Achiui
Instar montis equum, Patriæ cûi cura dolosa
Pragrandi se mole rotat. sed turpis hiatu
Flamma micat, cineriq; doloso fomes inardet.
Communis Troiæ rapidum exarsurus in ignem.
Jllius haûd animos hæc Protea cura tenebat.
Sat voluit fecisse sibi, si plurima sorti
Fecisset Patriæ. testis SISMUNDUS, & hæres
Sanguinis, & Solii, Lechico Regnator in axe,
VLADISLAUS erat: quorum conspectibus altis,
Hac nituit virtute iubar, testatur & Orbis
Sarmaticus, propriæ nunquam sua commoda sortis
Hoc animo reputâsse CAPUT. Sincera bonorum
Congeries, parili pulchrùm radiata metallo,
Lustrat HIERONIMUM, cætu qui mista Quiritûm,
Agmina consilii, tanta probitate refudit,
Orbis vt agnoscat semper meruisse Curules.
Has tamen extendi, quando invida fata negârunt,
Exoluit iam damna potens; meliore iugali
Fama, perennanti revehens sua nomina rheda.
Jámq; Palatino circumvallata Senatu
Hoc micuit fortuna loco: redit altera rursum

In Trabeis ornata suis: circumfluus aurô,
Siradius quam vestit Honor, culménq; togatum
Acclinat NICOLAE Tibi. *Ad fastigia nunquam*
Prouolat intentis Virtus conatibus, alta
Sat reputans meruisse sibi. gratissimus illi
Inclinat rubeos Honor alto à vertice cinctus.
Si fugit, insequitur: vestigatamq; prehendens
Plutar. in Vita Marij. *Ultrò legit, Marii sortem docuistis, & alto*
Murice Tarquinii, parvóq; à rure Catones.
Livius l. 1. Idē l. 3. & 4. Hîc Tibi purpureos decoris mentísq; Penates,
Aula boni; liménq; animi formosus honesti
Servat apex: pulcher vigilíq; in pectoris arce,
Excubat immensis Virtutum exercitus alis.
Dum Tua doctifluum despumat suada profundum
Grandævos inter Proceres, iam Tullius oris
Flumina damnabat proprii, iam Graia vetustas
Stat Pylium despecta Ducem; Demosthenis ora
Prorsus Cecropiis aspernarentur Athenis;
Fulmen & Æmathio vellent posuisse Philippo.
Sed iam Præsuleo vultum succinctus amictu,
In Carmen se immittit Honor; properate Camænæ
Grandisonos in plectra modos. & gurgite toto
Cyrrha Aganippœum rotet huc exhausta fluentum.
Quis Deus affulget radiis? quod lumen oberrat?
Fallor! an emeriti flammato in fonte sereni,
Regificis vicina Thronis, se Mitra stupentes
Vrget in obtutus? evibratísq; refulgens
Fulguribus, radios puro iaculatur in auro:
Iam prope collustrat facies, datur ora tueri.
Matthias Lubi: Archiep: Gnesnensis Regni Primas. LUBIENI Tu Magne nites, cûi Gnesna Tiaras
Principe cum Mitra, & primis Insignibus auctos
Archipræsuleo posuit pro vertice Fasces.
Culmine Sarmatico, Sceptris cognata Curulis
Cûi se prosternens Sellam submisit eburnam,
Atq; Tuum Gentile CAPUT pollente Senatu

Et Pro-

Et Procerum dedit esse Caput. Tibi roscida vultu,
Arrisit cunis Pietas, & strinxit, amico
Membra super gremio refovens, gressúsq; tenellos
Movit, & ad primas docuit reptare Tiaras.
Hac ductrice, quater, famulantibus vndiq; vittis
Præsul eras. *Valido sic ad fastigia nisu*
Ascendunt, Pietas comptis quos tollit in alis.
Vota coronantes, mundi cumulantur Honores,
Cum Cæli cumulatur honos. & Regna meretur
Cui placuit seruire Deo. Florente iuventa
Virtutum florebat apex. Tibi cæpta fuêre,
Quá meta est aliis: maturus frugibus almis
Autumnus, tenuit primævi tempora veris.
Ergo decoratos studiis florentibus annos,
Et meritis, nimióq; effusam robore frontem.
Quatuor auratis ornaverat Infula tæniis.
Chelminensis erat, primas inuecta per Aras:
Posna favens tribuit numeróq; & sorte secundam.
Nobilis addiderat Tibi Vladislavia ternam.

Quatuor Insul: Chelmi: Posnani: Vladisl: ac demũ Gnesnẽs. Regniq; Primatu exornatus.

Cúmq; nihil maius iam Patria grata teneret,
Quod posset conferre Tibi. (*Nam fida merentûm*
Obsequia, adstricto gressu comitantur honores.)
Principe lustratas radio, Gnesnæq; sereno,
Imposuit Mitras Capiti, primúmq; Senatûs,
Et Patriæ dedit esse Patrem. Quæ suada loquetur?
Et vigiles curas, decertatósq; labores,
Tum sacri pia iura Pedi? discessit Ovili
Hæretici frons torua lupi, rabiéq; frementi
Aufugiens, rigidas arrexit corpore setas.

Fulmen Hæreticorum.

Templa Deûm, substructa novis à sede columnis,
Eruta ruderibúsq; antiquis, aucta canentûm.
Iesseô pia sacra chorô. Mystæq; per aras
Addicti innumeras, remeans quoq; fluctus egentûm,
Grandine gemmantem riguâ, per munera dextram,
Clamant Magne Tuam Præsul. Iam subdita Cleri

Templorum perpetui Psalt: in Ecclesia Vlad: sacrificior: in maiori & Solenniori copia, Fũdator. Munific. Pauperũ altor.

Mulra

Multa cohors, sacros dum Te suspexit ad actus,
Norma Damnabant ius esse sibi. Tu Regula morum,
Cleri. Tu fueras lex viva boni. quodcunq; iubebas
Ipse Tibi parere volens, mandata severô
Firmâsti exemplô. *cunctum cum Principe vulgus,*
Assumit variam mutato corpore scenam.
Hæret in expositis illius vultibus. & se
Eius ad exemplum cunctus componit in actis.
Eius Ma Fervere Conventus Procerum, Patriúsq; Senatus,
gnificen: *in Comi* Concilio Regni, fluctu cum cæperat aucto;
tiis Gene *ralibus* Quàm Te Nobilium, Patrúmq; adstante Corona,
Varsau: Et vultum grauida cum maiestate ferentem
Varsavii stupuêre lares? Cum Gordia rerum
Vincula, difficiles Regni adstringentia nodos,
Poscebant aciem: nativus MUCRO plicatos (est,
Abscidit anfractus; compto hæc, CAPUT ore locutũ
Quæ voluit Patriæ alma salus, Aræq; sociq;.
Sed iam siderea, Cæli statione locatus,
Tantis pro meritis, æterno lumine mentem
Imbuis, & dulci superûm Te nectare comples.
Nec minor emeritas, lustrat Tibi Płocia vittas,
Płocia Vistuleo vultum speculata profundo,
Stanisla: Lucis honor, pariter radiis MUCRONE refusus
Lubien: LUBIENIO. Hic sacros impresserat Infula nodos,
Episcopo *Plocens.* Fronte STANISLAI, Procerúmq; affulsit in auge.
Illi (nam memini,) primas cum cerneret auras,
Aonides, roseum cunis strauêre cubile.
Membráq: gemmantes sursum tendentia palmas,
Flumine Castalii cunctæ lavêre fluenti.
Illæ, magnanima crescentes indole vires,
Admixta Pietate sibi, cætúq; decoro
Virtutum, vultúq; gravi ridentis Honesti,
Et te Diva Themis: studiis nil vile sonantes,
Firmavêre suis. Tali præeunte cohorte
Ibat in affectus, arcanaq; corda favent ûm
Præsuleo super axe Virûm. TILICIA Virtus
Quà

Quà Soleâ sibi fecit iter, quà PSTROKONIANÆ
Affulsit lux alma Rosæ, quà pectora pandens,
Traxit liligero GEMBICIA Fascia nexu:
Ostendítq; tuus messem SISMUNDE Manîplus.
Nec longum meritæ Virtuti debitor extat,
Mercedis perparcus honor. fortuna rotatum,
Fida mouet solido, Virtus quam torquet in axe.

Trium Præsulū, Pstrokonij, Tylicij, Gembicij, ac Sigismūdi III. amor Vnicus.

Abbatis iam Mitra nitet: Tynecia qualem
Claustra tenent, rutilam Lucêoria Templa Tiaram,
Atq; Aquilæ Regni, Procancellaria Iura,
Dona ferunt: certántq; suo de Præsule honores.
Pondere curarum Regni mens pressa, fatiscit
Nulla parte sui: dominæ facundia linguæ,
Attonitos frenat populos, totóq; Senatu
Fert fluidô sua regna salô. Iam lumina mentis
Vibratámq; aciem, fixæ ùt vidêre Sigillis
Regni victrices Aquilæ: tunc lampade Solis,
Avertêre suos ora indignantia vultus.
Térq; eius liquidum vexêre per aëra ceras,
Ter sibi secretis exprobravêre susurris,
Illum animô spectare magis. Sed Płocia vittas
Approperat studiosa suas. maiórq; Senatu
Monstratur gratante locus: quo Præsul honoram,
Presserat vt Sellam, sedit maiore theatro
Et populi tranquilla salus, Pietásq; Fidésq;.

Primū Abbas Tynecen: Epis: Luceoriens: ac Regni Procan: Prudentiæ ac Eloquij sū ma vis.

Suecia testis erit, tumido regnata Leoni,
Quà Tibi longævô Præsul memorande Cothurnô,
Materiem laudis, gemino Regnator in Orbe,
SISMUNDUS posuit: dum inter perplexa probatū,
Indolis emeritæ genium, præmiserat illuc;
Unde minax fremit ore Leo. iussúq; potenti
Perquirenda dedit sævi momenta Gradivi.
Iam fluxit sacer ore latex. nunc alite pennâ
Sepia despumat, niveum infectura colorem
Librorum. Non fama Tuum super æthera nomen,

In Suèciam à Sigismundo III. ad inquirendas belli causas mittitur.

Illius monumenta Hysterica.

 Extol-

Extollat: Libris pariter factísq; legendus,
In calamo ſublimè volas: Te penna volucri
Remigio per Regna vehit, Thulénq; remotam.
Exſcindítq; Tuæ monumenta perennia laudis.

Res Sigiſmun: III. cum Suecis geſtas cõſcribit.

Tu Suecas acies, profligatúmq; Leonem,
Dextera SISMUNDI, tumidas cûi vindice ferro
Decuſſit munita iubas. iecítq; lupatos:
Sepia pro ſanie dum manat, acumine pennæ
Vincis, & in Libris pompa meliore triumphas.
Secula, Płociacas ſcriptis ſuperare Tiaras,

Pariter Vitas Epiſcoporũ Płocenſ.

Dum facis, & vitas numeroſo à Præſule vulgas;
In Te Præſuleæ radiat pia Regula vitæ.
Nec tantis opus eſſe notis: expreſſerat omnes
Paſtores Tua vita bonos: per ſecula cuncti
Quæ fecêre, Tuis totum efformatur in actis.

In funere Sigiſ: III. perorat; extat eius Typis impreſſa Oratio.

Per Te Sarmaticis redeunt ſpiracula Sceptris,
In lucem provecta novam. Tua funere Regis,
Suada, parentales inter mæſtiſſima taxos,
Fata ſuper Regníq; vices complorat, & annos,
Atq; quaterdenos operoſa mole labores, (do
Percenſet. quam, dum clavo adſtringente, premen-
Præla gemunt, illincq; gravis dum ſpiritus exit,
Vita redit melior SIGISMUNDOq; Tibíq;.

Eccleſiã Płoc: collapſam reſtaur: Collegiũ Pſalter: Fundat: Contub: Philoſo: in Acad: Cracovi: fundationem munificẽtiſsimè auget.

At quis munificæ, certantia munera dextræ,
Efferat in numerum? Płocenſia Templa ruinis
Inſtaurata ſuis, ter ſex longo ordine Myſtæ,
Cantibus addicti ſacris; & limina tandem
Philoſopho cætûi, Craciiſq; habitata Camænis,
Quæ meus emeritis Academus ſervat in vmbris;
Atq; ignota mihi ſed nota DEO, ore perenni
Enarrant: Cœlúmq; ampla mercede coronat.

Albertus Lubien: Crac: & Gneſ: Canon: Pułtovienſ: Præpoſit.

Germanæ pietatis honos, iam pondere laudum
Metra premit; iam thuricremis affulget in Aris
LUBIENIUS, Fratrum Virtutis amantior hæres.
Illum Gneſniacæ lumen præluſtre Cathedræ,
Et Va-

Et Vavelle tuis, decus immortale Coronis,
Secula viderunt: vidit flagrantior alta
Luce Polus. Laribus sacris abiistis honores,
Protrusi temnente manu: quos duxerat ille
Commeruisse satis. posuit Virtutibus almis
Ille locum, pridem quem iam debebat honori
Instaurâsse suo. Non hic nigrantibus antris,
Aurifluas damnavit opes. profudit egentûm
Continuò refluis super ostia larga procellis.
Ac velut ætherei, cœlo nigrante, Tonantis
Cùm crebrò micat alta domus: stat fulmine nubes *Insignis Pietas in pauperes*
Fæta gravi, misti densantur grandine nimbi,
Et liquidi tonat aula Poli: fluit imbribus aër
Udus, & immissæ volitant per claustra procellæ.
Sic sua gemmantes numeroso in paupere nimbos,
Vndabat pietas. Studiis addicta Iuventus,
Narravit, memori recolens in corde Patronum.
Vos quoque perpetuis inscriptæ nomina claustris,
Vestales narrâstis opem. *Cumulantur in vnum*
Diuitiæ, cùm sic pereunt: cœloq; recondit,
Dextra, per attritas, quod spargit prodiga, turbas.
Constiterat numeris altùm lassatus Apollo:
Mox brevibus spatiis, intentas pollice chordas
Instruit, & subitò vires cantúsq; resumit.
At Te Vaveleæ quem nunc vicina Tiaræ,
Lux radiis affusa suis vestigat, & vltro,
HERACLEA, novos elargita Infula cinctus,
Advolat, vmbratura CAPUT Gentile, Tuúmq;.
Carminis o PRÆSUL meritò pars maxima nostri
LUBIENI: quo plectra dabunt de more canentûm!
(Nam video placido visu consensus honoris
Præsulei, super ore sedet) Tibi prospera vultu,
Ridet Eos: rosciq; comans de nube cubilis,
Præcurrit rutilum flammata in lampade solem:
Qui Tibi gemmantes, radio maiore Tiaras,

Fronte vehat: faciátq; Atauam calcare Curulem.
Quidquid in emeritis, tot per fastigia Sacri
Culminis, accessásq; Aras, Pastoribus, actum est,
Cognatúmq; Tibi, totum potiore sereno,
Præradiat super ore Tuo: qui singula factis
Exprimis, illorúmq; terens vestigia, gressum
Præsuleô firmante Pedô, procedis: & in Te,
Divorum effigiem, vultu prætendis Avorum.

Sigismũdus Lubien: Vexillifer Syradiẽ: Parens Illustris: Suffraganei.

Quin etiam fusus, radiat meliore metallo
Multus in ore Parens: Cuius Vexilla ferebat
Dextera, Syradiæ veteri cum Stemmate Terræ.
Illius, Heroum belli inter munia, pectus,
Armipotens Getici contemptis sedibus Hæmi;
Exosúsq; suam Rhodopen coluisse Gradivus
Fertur: & invictos pugnæ accendisse calores.
Sueticus horrisonas Aquilo, nigrante, procellas
Cùm tulit imbre Lechis: fulvóq; horrore Leones
Sarmaticas fudêre Aquilas; ferale tonabat

Comes Stephano Czarnec: cio aduersùs Suec.

Fulmen, in adversas Acies, CZARNECIUS: eius
Adstitit impavidis Comes imperterritus Actis,
LUBIENIUS: pariterq; minax, calcata citatum
Cornipedem, per colla dedit: docuítq; rebelles,
Vulnificæ terrore manus, & iurá tenere
Pacis, & immeritò vicina invadere Regna.
Pro meritis instabat honor: si fata tulissent,
Maiores in luce moras: sed præmia Cœlum
Nobiliora parans, terris excesse cöégit.

Cæcilia Parens Illustriss: Suffrag: Hieron: Opacki, Palatini Derpatẽ. Filia.

Et paribus laudum titulis CÆCILIA fulget,
Sanguine materno & solido virtutis in auro
Sat radians. illi OPACIO de Sanguine, Sanguis,
Iure Palatino Derpatensique Curuli
Evecto, deductus erat: sed cardine Cœli
Ingenium, summísq; valens prudentia rebus.
At nec ab antiquis OPACIA Stemmata Ceris
Donâssent aliam: Patriæ, quæ Heroas amanti

In so-

In Solea venisse sua, Craciæq; Cathedræ,
Sub Cruce nativa, prægrandia Lumina gaudent,
Effudisse: Viris Lechósq; implere Triones.
Indè tamen Magni Ceris, meritísq; Parentes,
Grandè sonat vestræ non segnis gloria Stirpis:
Quod Pastoralis præcelsa ad munia Curæ,
Natus vester eat: passúq; effusus, Avorum,
Grandia Præsuleæ servet vestigia plantæ.
Hîc Tibi primævas Lucina faventior vlnas,
O PRÆSUL Craciis pulchrum decus addite Vittis,
Expandit plaudente manu. tunc sidera celsô,
Dum Tibi vitalem properarent fundere lucem,
Arrisêre Polô: & latis plausêre Choreis.
Iam grandævus eras, vix Te conspexerat ætas,
Et Cunis non cæpta Tuis, stetit indole multa
Mens prægressa Viros. Viridi Tibi messis Aprili
Creverat, autumnô quam vix decerpserat vllus.
Vtq; Iagellonæ Te adspectavêre Camenæ
Instantem studiis: hæc iam vidêre tenentem,
Quæ dare tentabant: latices collémq; bicornem,
Contempsêre suos: cum iam nil Cyrrha teneret,
Quod Tibi doctisonis queat instillare fluentis.
Qualiter immensis fundit crystallina Nerêus
Regna vadis: spumant liquidum vaga flumina censũ.
Ille peregrinæ, fluviorum haûd indigus vndæ,
Stat propriis effusus Aquis, populósq; procellis
Concutit: & vastum fluctu complectitur Orbem.
Unde Tibi Patriæ, cum iam Maiora Camenæ,
Haûd conferre queunt: lustratas sidere terras
Hesperio, celebrémq; armis, populísq; potentem,
Tendis in Ausoniam: septémq; in Montibus Vrbem
Ingenii de colle vides, atq; ipse videris.
Cùm Te Cornipedum celeri vehit vngula curru:
Quis pratis tunc vultus erat? quo campus honore,
Gramineas eduxit opes? tunc floribus arua,

Ætas tenera Illustrissi: Studijs in Acad: Cracoui: exculta.

Erubuêre novis: croceo velamine tellus,
Induit herbiferam, gemmans in gaudia frontem;
Vt Tibi Præſulei faceret præſagia cultus.
Quis Romæ conſpectus erat? quæ lumina vultus
Inſedêre Italos? cùm Te pulcherrima Virtus,
Et frontis formoſus honor, factiſq; decorum,
Illimi radio partes luſtrâſſet in omnes.
Quíſue ſtupor? gelida tantus, quando ibat ab Arcto,
Ingenio fervente calor: tunc corda Virorum
Cardine qui fulgent rubeo, reſerata patebant.
Et votis toties, hæc, quæ nunc culmina ſcandis;
Edixêre Tibi. Limen ſed pandit Aquinas,
Hîc vbi Theologi fervent diſcrimina Circi;
Ibi The- Et multus ſonat ore DEUS. Certante labore
olog: dat Iam Decreta Poli, quæ lex adamante refuſis
operam. Poſtibus, inſcripſit Superûm, Tibi tota pateſcunt,
Et colitur ſcitúrq; DEUS, ſtat pectore Numen.
Vidi ego: doctiloquæ cùm ſe in ſacra bella phaláges,
Accinxêre ſimul, Márſq; horruit ore diſertus:
Vt Tua veridico mens fuſa per agmina niſu,
Fulmineas dedit ore minas, doctúmq; caleſcens,
Proruit innumeras, Veri mucrone cohortes.
Tunc iam Roma ſuas, vultu ſpretura Cathedras,
Si neſciret adhuc Ceris, quæ Stemmata geſtas,
Dixiſſet Tibi Stemma, CAPUT. mox laurea ſerta,
Erectura Sacrum devicto ex hoſte trophæum:
Culmine Theologo cingunt Tua tempora circùm,
Doctor Præludítq; Tuæ Laurus collata TIARÆ.
in eadem Sac: Th: Viderat hæc Latius, vicino margine Thybris:
creatur. Inſolitóq; Tuis applaudens more triumphis,
Ter placidas concuſſit aquas, ter littora circùm,
Inclammâſſe Tuum viſus per murmura Nomen.
Quò tamen intenſos Latio ſub ſole calores,
Docta Cleantheo, quos lux effulgurat igni.
O PRÆSUL perferre placet! Te à limine Petri
Sarma-

Sarmatiæ concede Tuæ, laribúsq; Paternis.
Jámq; redis; Tecum simul est conspecta redire,
In Patriam Pietas, sacróq; Scientia cætu.
En Aulæ cordísq; Tibi penetralia pandit, *Redux in Patriam Primati Regni Olßouio Carus.*
OLSZOVII devinctus Amor: cûi Tænia Princeps
Gnesnizco defixa tholo, primæva Senatûs
Jura dedit, Patriæq; pium dedit esse Parentem.
At quidni patulam sacri Tibi pectoris arcem
Offerret? cûi consimili ad maiora favore,
Rite Tuus respondit Avus, Gnesnensibus Aris.
Illi, (quod memori mansura Nepotibus ævo,
Fama ferat: cùm Præsuleos, pinxisset Apelles,
Gnesniacæ Mitræ, minio non simplice vultus;
Restarétq; locus, veniens quem pingeret ætas)
Augure LUBIENIUS, dixisse à pectore fertur: *Quē olim Matthias Lubienski Regni Primas Quintū post se futurū successorem in Gnesnēsi Infula prædixit nec fefellit ... ius.*
Hîc Tibi, Principibus post me locus iste rubebit,
OLSZOVI, radians quinto super ordine Mitris.
Augurio stetit alma fides, pia vota coronans.
Nam post LESZCZYNIA geminas in frõte Tiaras,
PRAZMOVIÆq; alto Soleæ vestigia cliuo,
Et Vittati Equitis, post CZARTORYSCIA Sacra,
Quintus ad emeritas tendens OLSZOVIVS Aras,
Impleuit Tripodas, meliora Oracla sonantes.
Is Tibi pensurus, quod Auo dignante recepit,
Monstrauit super alta viam. tantúmq; fauoris
Præstitit, egregiô quantùm radiatus honestô
Ingenii fulgebat apex. Sed culmine Montis
Vauelii, qualem TRZEBICIA Stemmata gestant, *Trzebicio vltra proximæ Consanguinitatis nexū obegregias animi dotes intimus*
Accantat formosus OLOR: plumáq; niuali,
Plaudens liligeræ CASIMIRI in Nomine menti,
Cor aperit, niueósq; lares. A Præsule tanto,
Censeri in meritis, Cathedrâ dignumq; probari,
Hoc opus extiterat. roseo sed fulgida cætu
Virtutum, Pietas, comptíq; modestia Vultus,
Eloquii diuésq; latex, & sacra supellex,
Theologas, Almæq; Themis, congesta per artes,

Non alium poterant rerum instaurâsse tenorem,

Ab eo Canonicatu Crac: exornatur.

Et pretium fecisse Tui. Iámq; Alite fausto
Præsulis, ad Cracias caput in sublime Coronas,
Attollis: ternóq; Tuam Diademate frontem,
Gemma Sacerdotum, vincis, Cleriq; Corona.
Hôc Tibi, primæuas, crescendi in culmine sedes,
Proposuit fortuna decens: vbi semine multo,
Gemmant Præsuleis Capita exornanda Tiaris,
Gemmaretq; Tuo, Vittari messis honoris.

Par in Illustrissimum Małachouij Affectus.

Ecce Tibi niveô MALACHOVIA FASCIA gyrô,
Ad votum se tota rotat, nodóq; fauenti,
In Te Patriciæ effigiem Virtutis adorans,
Intima Præsulei euoluit penetralia cordis.
Vt Tibi stellatam tendens Astræa bilancem
Cesserat: & Regni dederat sua Iura Tribunal.
Iustitiæ quis feruor erat? quàm dona precantûm,
Exosæ trusêre manus? tunc climata terræ,

In Iudicijs Tribunalis Regni Iudex æquissimus.

Optabat reduci calcare Astræa cothurnô:
Inuia tunc Culpæ, curru legêre profano
Limina, Marmarici trans vasta silentia mundi.
Sic meritis & honore potens, per corda triumphas
Cunctorum: ponísq; Tuum super ora trophæum.
Atq; vtinam Cratiæ longùm superesse Tiaræ;
DAMBSCIA, frugifero valuisset robore PINUS:

A Celsissimo Præsule Dambscio in Suffrag: Crac: legitur.

Heû breue delicium Sponsæ! breue fulgur in Ostro!
Nonnisi materies nostri mæstissima luctus!
Prô! quantùm niueæ fluerent solatia menti.
Si Te Præsuleis euinctum tempora Tænîjs,
DAMBSCIUS, excelso Cracidos de culmine posset,
Adspectare Tuus. tamen hæc solamina Manes,
Nunc capiunt: Cracias pro se quod scandis ad Aras.
Hic Tibi vicinam propriæ, (quò fædus amico
Pectore, firmaret propiùs: quò sanguinis alta
Vincula, consimili faceret fulsisse sereno)
Vertice deposuit Mitram: Fascésq; Vicarii
Muneris, & regimen Sacrum, maiora daturus,
Tempora si maiora sibi, trux Parca dedisset.

Post

Poſt illum Viduæ, Tutela potiſſima Sponſæ,
Traditur: & nutans CAPITI Vavellus inhæret. (næ,
At Tibi DONHOFIUM CAPUT huius damna rui-
Compenſat: conſanguineæ PINUSq; dolorem
Corde premit: vultúq, favens, quod cæperat illa,
Perficit: atq; novas ponit Tibi fronte Tiaras.
Utq; eius Craciis citiùs lux fulgeat Aris;
Te ſibi præmittit, primis veſtigia plantis,
Tu calcas; Solíq; Tuo, præcurris Eous.

Adminiſtrator Epiſcop: Cracovi. Et in Epiſcopũ Heracleẽsẽ à Celſiſſimo Prin, cipe Donhoffio Nominato Epiſcopo Crac: cõſecratur.

Debueras equidem vacuas implere Tiaras,
Quas VLADISLAVIO, fauſtùm iam Murice cinctæ,
SZEMBECIÆ liquêre ROSÆ, quæ pectore toto,
Addictæ mansêre Tibi: ſocióq; labore,
Colle ſuper Cracii, longùm micuêre Vavelli.
Tu fueras: tanti, meritis, qui culmina rerum,
Præſulis impleres: ſucceſſurúſq; per Aras, (das.
Poſt Decus hoc, Cracidos, prægrãdia damna repen-

Poſt aſcẽſum Illuſtriſſimi Szẽbecij ad InfulamVladiſlauienſem.

Sanguinis agnato, pariter duo Lumina nexu,
Præradiant, Cracias inter defixa Coronas,
Intendúntq; diem. (poſt KONIECPOLSCIA vincla,
In Soleíſq; affine iubar: SOKOŁOVIA præter
Stemmata, ROXICIOS, veteres Ceráſq; ZAPOLÍI
Fæderis, & GOMOLINIÆ decora ampla Sariſſæ)
Lumina præradiant: primùm ſibi CIENSCIA Ceris
Accendit probitas, famæ pulchrúmq; ſerenum.
Hîc conſanguineum CAPITI, CAPUT, alta Vavelli,
Inter Fulcra nitens, primis faſtigia prenſat
Faſcibus, & roſeo illuſtrat Diademata vultu.
Atq, Tibi o PRÆSUL! totis præcordia venis
Pandit, & affini pulchrum dat corde trophæum.

Affines multarũ Familiarũ nexq.

Perilluſ. & Reue. D. Gaſpar Ciẽſki Dec: Cracov:

Altera ſtellatis procedunt Lumina ab Armis,
OPACIIæ quæ ſplendidiùs quàm Ancile, Quirini
Templa Numæ, vel Palladium ſua Pergama, ſacras,
Vavelea pro rupe Domos, adytúmq; decorant.
Ille Tuo, pectus, quo proxima Sanguinis alti
Vincla rubent, totum pridem reſeravit amori.

Perilluſ: & Reu: D. Vlad: Opacki, Archidi: Cracoui.

Ille

Ille, potens Nomen, ſemper ſpiratq; fovetq;,
Congaudétq; Tuæ, ſacrata in fronte TIARÆ.
Congeminat parili ferventia Vota calore,
Germani Tibi cordis amor: Te ad culmina Mitræ,
En gratante animo, & vultu, comitantur euntem.
Vota Tibi Noſter, Pariâ ſuperaddit ab vrna, (chro
CANTIUS; eximio, quem nunc Tua dextra ſepul-
Extulit. ille Tuum ſcindet per marmora Nomen.
Attollétq; ſuis operoſa in mole columnis.
Ergo CAPUT, radians Maiorum luce, ſuâq;
Et ſummas etiam, dignum eſt implere Tiaras.

Adamus & Boguſlaus Fratres Illuſtriſſimi Inſignis munificẽtia Illuſtriſſimi in B. Ioann: Cãtium.

Dixerat: at Solio plaudens Honor, orat ab alto.
Grandia LUBIENIÆ dudum mihi nomina Gentis
Cognita: Præſuleo pridem innutrita paratu.
Plura manent, ſed vota moror. premat ocyùs altè
LUBIENIUM ſua Mitra CAPUT, fluat Infula collo,
Optatóſq; humeros, rubeo circumdet amictu
Purpura: maioris faciens exordia Vittæ
Protinus exurgens, CAPUT hoc, quod fama ferebat;
Expoſuit fulgente tholo. mox Mitra Pedúmq;
Affulsêre, novum circùm iaculata ſerenum.
Fitq; SUPERSTRUCTUM CAPITI, CAPITOLIUM, amæno.
Numina læta volant: & iam ſtant colle Vavelli.
Iam celſa de rupe, ſonat ſua gaudia Phœbus:
I nunc, egregio, quem præbet in ardua, calle,
Virtuti devinctus honos: o PRÆSUL! Auorum
Ecce Tibi reſpondet Apex, & Gneſna remugit.
I properus, valuis, Te CZESTOCHOVIA apertis,
Templa manent: vultúſq; in Te convertit amicos
DIVA PARENS, largo Maiorum ornata monili.
Iámq; Pedo prætende manum, iam colla TIARÆ,
Et meritum ſubmitte CAPUT. ſic auſpice prima,
Excelſæ, Regni, veniant ad tempora Mitræ.
Et portata ab Auis, maior premat Infula frontem.
Sic populus dat vota Tuus. ſic turba precatur
Pallados, & VLADISLAVIUS prædicit Apollo.